

**I**nter *Peregrina*, seu potius *Christiana* marmora collocari debuit (\*) hæc Inscriptio, quam e Cæmeterio Commodilæ petitam dono mihi dedit patruelis amantissimus Nicolaus de Abatibus Oliverius Episcopus Porphiriensis, ac Sacrarii Apostolici Præfectus. Dimidio auctior existat in Boldetto lib. I. Cap. XIV. ubi tamen nescio quomodo ex Cæmeterio S. Helenæ eruta scribitur. En quomodo illam Boldettus repræsentat

BENEMERENTI . CONIVCI . PONTIANO . IN . P....  
FECIT . QVI . VIXIT . MECVM . ANN . LXXVIII....  
DIGNIS . LVCE . FECISTI . LVCE . HAN... (\*\*)  
ET . FILI . BENEMERENTI . FECERVNT

C.

**A**D Antoninorum tempora pertinere hanc Inscriptionem *Æliæ*, Liberalis Cæsaris vernæ fororis, nomen ostendit. Dimidium seu semis litera S significabant veteres, ut constat ex nummis, in quibus supra proram navis S visitur semissis, seu dimidii assis indicium, & ex argenteis etiam sestertiolis, quorum aliquos typo diversos habeo, in quibus IIS pone caput Romæ galeatum signatur, quod nempe duos asses cum dimidio nummi illi valerent; inde nota communis sestertiorum HS, lineola intermedia dumtaxat additâ. Idem apparet in vetustis inscriptionibus, quarum plurium loco sit, quæ existat in Cl. Boldetti opere pag. 404. in quâ *Donata* quædam vixisse dicitur ANN. III. MENS. XI. DIEB. XXIII. HOR. VIIS. Veteres enim non solum diligentissime annos numerabant, aut menses, quibus ille, cui monumentum ponebatur, vixisset; verum etiam dies, horasque, & quod caput est, quandoque etiam horarum scrupulos; videlicet Fabrett. Inscr. Dom. Cap. II. pag. 95. & seqq.

Inter-

(\*) Erroris causam in Præfatione explicavimus.  
(\*\*) Nihil ad hunc versiculum supplendum præcavari excogitari potuit, quam illud, de quo monumentis Pompejus Compagnonius, nempe Hanima dulcis seu dulcior ita ut per blanditiam Pontianum conjugem animam luce dulciorem uxor appellaverit. Idem tamen Vir doctissimus uxoris ipsius nomen, veluti Hanastasia vel simile, contineri ibi posse non diffidebat.